

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0660

0658

0664

0654

0669

0649

0709

0609


0759

0559

0159

Ende

Anfang



87

super sepulchrum Lazari aedificata, et ultimo tempore Christianorum erat juxta eam monasterium monialium Ordinis S. Lazari sub regula S. Benedicti. Vestitus earum fuit tunica alba et pallium nigrum, sicut Johannitae, cum cruce viridis coloris. In alia Bethania trans Jordanem, ubi erat Johannes bapuzans, ut habetur Joh. 1., erat simile monasterium ejusdem Ordinis, et erant moniales illae valde divites et religiosas. Unde monasterium illud fuit septum olivis, ita, quod non poterat videri a descendantibus de monte Oliveti. Ab hoc monasterio fuerunt missae sorores etiam ad alias mundi partes ad aedificandum similia monasteria. Unde in comitatu dominorum de Kyburg prope Thuregum est hodie unum de illis monasteriis et dicitur ad sanctum Lazarum Imgfren. Post perditionem terrae sanctae fuerunt moniales dispersae et monasterium destructum et oppidum, demta ecclesia cum sepulchro, quod adhuc stat, et est marmorea tumba elevata, et sub ea est spelunca, quae est obstructa. Sarraceni etiam nobiscum sepulchrum hoc honorant, quia omnia loca, in (214A) quibus aliquid gloriosum est per Dominum actum, honorant, sed in quibus aliquam ignominiam sustinuit, detestantur. Ecclesia illa est exsecrata et altaria ejus diruta, et quando nos in ea eramus, erat plena manipulis frumenti, sicut horreum rusticorum.

De domo Simonis leprosi, hospitio Domini.

Ab illa ecclesia consequenter adscendimus in quandam aliam destructam ecclesiam, cujus ruinae magnae ibidem jacent, et unus murus de ea remansit, in quo videtur, fuisse ecclesiam pretiosam, et habuit pavementum, vario marmore stratum, cujus reliquias deprehendimus. Haec ecclesia in eo loco fuit constructa, in quo stetit domus Simonis leprosi. De qua loquuntur Evangelistae Matth. 26. Marcus 14.

In hanc domum venit Dominus Jesus invitatus sabbatho palmarum, et ibi M. Magdalena effudit unguentum super caput discumbentis, et ibi murmurabant discipuli de perditione, ut habetur, ubi supra, et Joh. XII.

Et est alia domus Simonis, sed non illius, qui fuit in Jerusalem, in quam venit Maria Magdalena, quando primum